De absentia onerati.

4. Iidem AA. & CC. Stratonico.

NOn idcirco minus, quod intestato [1] te absente [2] codicillos mater tua fecit, hi, quibus precariis verbis adscripta sunt, relicta capiunt. Sine die & consule.

De furioso.

5. Iidem AA. & CC. Flaviæ.

NE codicillos quidem furentem [3] posse facere, certissimi juris est. Si igitur scriptura velut codicillorum patris tui fuit prolata, ut aliquid ex hac peti possit: adseverationi tuæ mentis eum compotem fuisse negantis, fidem adesse [4] probari [5] convenit. Dat. 6. Kal. Decemb. *Divelli*, CC. CONSS. 293.

De confirmatione codicillorum.

6. Iidem AA. & CC. Demostheni.

SIve [6] initio, quæ fuerat codicillis relicturus generaliter, sive novissime relicta servari mandaverit, confirmatione munitus, nullam justam gerere solicitudinem potes. Dat. 3. Idus Decemb. *Nicomedia*, CC. CONSS. 293.

Differentia testamenti, & codicillorum.

7. Imp. CONSTANTINUS A. ad Maximum PP.

SI idem [7] codicilli, quod testamenta possent, cur diversum [8] his instrumentis vocabulum mandaretur [9], quæ vis, ac potestas una sociasset? Igitur specialiter codicillis instituendi [10], ac substituendi potestas juris autoritate data non est. Dat. *3. Jun. PACATIANO, & HILARIANO CONSS. 332.

Si quis ex eadem scriptura primum hereditatem ex testamento, deinde fideicommissum petat: & de testamento imperfecto. 3. *De testibus.*

8. Imp. THEODOSIUS A. Asclepiodoto PP.

SI [11] quis agere ex testamento quolibet modo, sive scripto, sive sine [12] scriptura confecto, de hereditate voluerit: ad fideicommissi persecutionem adspirare cupiens minime permittatur. Tantum enim abest, ut aditum cuiquam pro suo migrandi desiderio concedamus: ut etiam illud sanciamus, Si testator faciens testamentum, in eodem [13] *pro codicillis etiam id valere* complexus sit: qui hereditatem petit ab ipsis intentionis exordiis, utrum velit, eligendi habeat potestatem, sciens se unius [14] electione alterius sibi aditum præclusisse: ita ut sive bonorum possessionem secundum tabulas, sive secundum nuncupationem, cæterasque similes postulaverit, aut certe mitti se in possessionem ex more petierit, statim inter ipsa hujus juris auspicia propositum suæ intentionis explanet. §. 1. Illud quoque pari ratione servandum est, ut testator, qui decrevit facere testamentum, si id adimplere [15] nequiverit, intestato videatur esse defunctus, nec [16] transducere liceat ad fideicommissi interpretationem, velut ex codicillis ultimam voluntatem: nisi [17] id ille complexus sit, *ut* [18] *vim etiam codicillorum scriptura debeat obtinere:* illo electionis videlicet jure perdurante, ut qui ex testamento agere voluerit, ad fideicommissum migrare non possit. §. 2. Si quis vero ex parentibus utriusque sexus, ac liberis [19] usque ad quartum gradum agnationis [20] vinculis alligatus, vel cognationis nexu constrictus usque ad tertium, scriptus heres fuerit, vel nuncupatus, in eo videlicet testamento, quod testator vicem quoque codicillorum voluit obtinere: licebit ei, si de hereditate ex testamento secundum mortui voluntatem agens fuerit superatus, vel certe ipse sponte voluerit, ad fideicommissi subsidium convolare: non enim par eademque ratio videtur, admittere debita [21], & lucra non capere. §. 3. In omni autem ultima voluntate, excepto [22] testamento; quinque [23] testes, vel rogati [24], vel qui fortuito [25] venerint, in uno eodemque tempore debent adhiberi: sive in scriptis, sive sine [26] scriptis voluntas conniciatur: testibus videlicet, quando in scriptis voluntas componitur, subnotationem suam accommodantibus. Dat. 15. Kal. Mart. *Constantinop.* VICTORE V. C. CONS. 424.

TIT. XXXVII.

DE LEGATIS [27].

De alimentis, & vestiario.

1. Imp. ANTONINUS PIUS A. libertis Sextiliæ.

QUamvis verbis his, *quoad* [28] *cum Claudio Justo morati essetis*, alimenta vobis, & vestiarium legatum sit: tamen hanc fuisse defuncti cogitationem interpretor, ut & [29] post mortem Justi [Claudii] eadem vobis præstari voluerit. Sine die & consule.

De venditione hereditatis.

2. Impp. SEVERUS & ANTONINUS AA. Sabiniano.

QUamvis heres institutus hereditatem vendiderit [30], tamen legata, & fideicommissa ab eo [31] peti possunt: & quod eo nomine datum fuerit, venditor ab emptore vel fidejussoribus ejus petere poterit. PP. 10. Kal. Septemb. LATERANO & RUFINO CONSS. 198.

De oppignoratione rei legatæ.

3. Iidem [32] AA. Victorino.

QUi post testamentum factum prædia, quæ legavit, pignori [33], vel hypothecæ dedit, mutasse voluntatem circa legatariorum personam non videtur [34]. Et ideo, [etiam] si in personam actio [35] electa est: recte placuit ab herede prædia liberari. PP. 6. Kal. Maji, GENTIANO & BASSO CONSS. 212.

De relictis servo proprio sine libertate.

4. Imp. ANTONINUS A. Sulpitio.

SErvis [36] testamento dominorum non [37] data libertate, legatum seu fideicommissum [38] relictum non [39] valet: nec convalescere potest, licet post [40] mortem testatoris libertatem aliqua ratione consecuti sint. PP. 5. Kal. Jul. ANTONINO A. 4. & BALBINO CONSS. 214.

Si legatarius rem legatam subtraxerit.

5. Idem A. Donato.

NOn [41] est dubium denegari actionem legatorum ei pro portione competenti [42] in his rebus, quas subtraxisse [43] eum de hereditate apparuerit. PP. 5. Id. Septembr. ANTONINO A. 4. & BALBINO CONSS. 214.

fin. ff. eod. 1 Conficiuntur codicilli etiam ab intestato. *l. 8. pr. & §. 1. l. 16. ff. eodem. §. 1. Inst. eod. l. 5. §. de SC. Trebell. l. 88. in fin. ff. de legat.* 2. imo non debentur fideicommissa ab intestato. *l. 13. in fin. ff. de inofficiosi.* Videtur dicta lex 13. abrogari. 2 Absente herede ab intestato, codicillos facere possumus: Absentia heredis non impedit codicillosfieri. 3 Furiosus codicillos facere non potest. *l. 2. §. 3. ff. eod.* 4 Alias quilibet sanæ mentis fuisse præsumitur, nisi contrarium probetur & merito. Quilibet enim talis esse præsumitur, qualis natura esse debuit. *Bald.* 5 Qui negat sanæ mentis hominem, probare debet. & ita negatio plerumque probanda est: *plerumque*, inquam. Nam mera negatio probari non potest. *l. 23. in fin. supr. de probat.* 6 Codicillos ante vel post testamentum facere possumus: utrovis tempore confirmentur, valent. Imo, ut neutro confirmentur, valent. *§. 1. in fin. Inst. eod.* cum & alioquin nullo penitus facto testamento valeant, id est, cum valeant ab intestato. *l. 4. §. eodem.* Potest etiam codicillus nuncupativi testamenti appendix esse. *l. ult. ff. de jure codicill.* 7 Non idem codicilli possunt quod testamenta. 8 Nomina quæ diversa habent, diversos etiam effectus habent. 9 Daretur, Cujac. 18. *observ.* 9. & ita legendum esse apud Ulpianum 22. §. 29. *in fin.* monet. 10 Codicillis instituere aut substituere heredem non possumus Institutiones tantum fiunt in testamentis. *l. 2. §. eod. l. 13. in fin. ff. eod. §. pen. Inst. eod. l. 14. supr. de testam.* 11 *l. 7. C. Theod. de testament. & codicill.* Ex eadem scriptura non potest quis hereditatem petere ex testamento directo & ex fideicommisso codicillis adscripto. *Guid.* Singularem decisionem vide apud Math. de Afflict. *decis.* 134. Anf. 12 Codicilli etiam sine scriptura fieri possunt, *ut hic*, adde *l. e. fine §. J. ad SC. Treb. Glos. in l. ait prator. §. in fin. in verb. pronuntiatum. ff. de re jud.* 13 De hac clausula vid. §. 1. J. *eod.* 14 Unus electione plerumque alterius aditum nobis præcludimus. *l. 11. in fin. ff. de leg.* 2. adde *l. 22. in fin. ff. de damn.* licet tamen conjunctis personis variare. §. 2. J. *eod.* 15 Imperfectum testamentum. *l. 1. ff. de hered. petit. l. 4. l. 29. ff. qui testam.* inter extraneos fuit. non suos. *l. 21. §. 1. supr. de testam.* ubi codicillus non fuisset, *ut hic, & l. ult. ff. eod. l. 29. ff. qui testam. l. 11. §. 1. ff. de legat.* 3. nisi testator pro codicillis valere voluerit. 16 Codicillis tamen directa verba adjecta, obliquæ accipienda esse notant: ut codicillis filio impuberi in potestate facta directa pupillaris substitutio trahatur ad fideicommissum, ut in *l. Scævola. 76. ff. ad SC. Trebell.* Accurs. Alexander, Aretinus *in l. verbis civilis, 7. ff. de vulgar.* fic codicillis facta institutio trahitur ad fideicommissum. Imol. *in l. 1. ff. de injusto.* Alex. *7. cons.* 194. Quid: vulgaris & compendiosa institutio directis verbis facta, vi codicillaris clausulæ trahitur ad fideicommissum? Hanc, non illam trahi notant, Deo. *cons.* 205. Bartol. *l. 1. ff. de jure codicill.* 17 Codicillaris clausula non subintelligitur, nisi fuerit expressa; sic itaque testamentum, cui hæc clausula non fuerit adjecta, jure codicillorum non valebit, *ut hic. & l. 1. ff. eod. l. coheredi. 41. §. cum filia. 2. ff. de vulgari. l. si pure. 1. J. de testam. manumiss.* Boër. *decis.* 33. Imo tacite interdum hæc clausula intelligitur. *l. 38. ff. de fideicomm. libert.* sic fane: fed ducta tantum conjectura ex affectione testatoris. Quin subintelligitur in testamento militis. *l. 3. ff. de mi it. testam.* ut in testamento inter liberos. *gl. in 4. §. cum filia.* in causæ pias testamento. Bald. *in d. l. si pure* 11. favore libertatis, *ibid. Baldus.* ob vim summam nisi bonefidjuge causa, *text. ex gl. in l. testamento. ff. de fideic. libert.* (quod ultimum verum in legatis & fideicommissis, non in institutione) si adjecta sit a notario clausula, *&c.* Si testator dixit, velle se testamentum haberi pro legitimo, vel ut valeat omni meliori modo, vel jure cujuslibet ultimæ voluntatis: vel si testator in eo actu dixit. Quæ omnia vera censenda sunt, modo deficiat ilie actus tantum in solennitate, at non in substantia: dum etiam actus ilie solennitatem habeat faltem in codicillis necessariam. Sed pone heredem jurare justum, se testamentum legata *&c* minus solenni testamento? subintelligatur superior clausula codicillaris. *l. 2. J. comm. de legatis:* adde Mantic. *1. de conject.* 9. His vo, *quisquis mihi heres erit*, heres ita nuncupatus dare damnatus fuerit. Bald. *in l. dudu. 19. ff. de except. rei jud.* licet contrarium videatur ex *l. qui liberis.* 8. §. *hæc verba. ff. de vulgari.* Idem tradunt, si testator voluerit legata deberi, etiamsi hereditas non adeatur ex testamento. vid. Bald. *in l. 1. J. si omissa sit causa testam.* aut si in testamento vim & effectum testamenti prohibuerit, tunc enim videntur venientes ab intestato dare damnati. Imola *in l. 1. ff. de cond. insti.* Idem quoque, si testator dixerit, ut actus, quem agit omni solennitate remota valeat: ut ponite sit, ac si codicillarem clausulam adjecisset. Bald. *in l. pen. in fin. ff. de legat.* 2. vid. Socin. *reg.* 198. Imo ut expresse adjiciatur hæc clausula, testamentum inofficiosum non valet. *l. 13. ff. de inoffic.* Clausula codicillaris minus poteft adjecta inofficioso, quam imperfecto testamento. Cur? Cujus testamentum quasi inofficiosum condemnatur, pro demente habetur. Demens autem testamenti factionem non habet. *l. 36. ff. de legat.* 3. 18 Hæc est clausula quæ vulgo codicillaris dicitur: cujus formulam vid. in *l. 29. in fin. ff. qui testam.* fit etiam ejus mentio in *l. 41. §. 3. ff. de vulgari. l. 3. ff. de testam. milit. l. 11. J. de testament. manumiss.* 19 Personis conjunctis licet variare: aliis non licet, ut sæpius dixi J. *eod.* 20 Id est, usque ad abnepotes. vide Cujac. *14. observ.* 11. 21 Proximis personis hereditates quasi debentur. adde *l. 7. §. 2. ff. de curat. fur.* 22 Puta codicillis, *ut hic.* & mortis causa donatione, in qua requiri volunt ideo quinque testes, cum in donatione inter vivos duo sufficiant. *l. ult. J. de donationib. causa mortis.* vid. Roland. a Valle *1. consil.* 8. *num.* 22. 23 In omni ultima voluntate, excepto testamento, quinque testes sufficiunt. *l. 28. §. 1. supr. de testam.* ergo totidem testes in epistola fideicommissaria & mortis causa donatione intercedere oportebit. vide Mantican 1. *de conjectures tit.* 11. *6.* 12. 24 In testamento rogati esse debent testes: in codicillo possunt esse non rogati. 25 Fortuiti testes esse possunt in codicillis. 26 Datur etiam decretalis bonorum possessio secundum nuncupationem, *ut hic. & l. 2. §. de B. P. secund. tabul. l. 3. l. 8. ff. de B. P. secundo tabul.*

27 Dixi ad lib. 20. 31. 32. 33. 34. *D.* tit. *Inst. 2. 20. adde 3. Paul. sentent. 6.* Ulpian. 24. Gajum 5. vid. Grassum *lib. sentent. §. legatum.* 28 Debuiti alimenta quoad eum Claudio morarer. Claudius mortuus est? Debes alimenta etiam post mortem Claudii. Nam simpliciter alimenta relicta perpetuo relinqui intelliguntur. *l. 20. ff. de annuis. l. 13. §. 1. l. 20. in fin. ff. de alimentis.* ut hinc constet, legatum post mortem Claudii remanere, non tamen remanere conditionem: neminem enim ita fatum esse, ut aliqui imperet cum aliquo post mortem habitare. Ideoque cum aliquo morandi conditio intelligitur eo vivo, videlicet ut ad tempus vitæ conditio restringatur: post mortem vero expiret ex tacita testatoris voluntate, non tamen expirat legatum. 29 Imo non debetur post mortem. *l. 7. l. 4. J. de cond. inser. l. 62. in fin. ff. de condit. & demonst.* non debetur, si legatum factum fuit ejus contemplatione quocum habitare legatarius jussus est. 30 Venditio hereditatis facta ab herede jure suo legatarios non exuit. 31 Non ab emptore. *l. 2. §. de hered. vel action. vendit.* 32 Severi nomen hic expangendum putat Pamhelius in vita Tertulliani. Nam Severus primo die Nonas Februarii periit: hæc autem 6. Kal. Maj. diu post ejus obitum. adde quæ scripsi *in fin. l. 1. J. de his quæ sub modo.* 33 Testator rem a se legatam postea obligans, non revocat legatum *1. 4. §. 1. ff. de leg.* 3. quemadmodum si urgente necessitate alienavit. *l. 14. §. 12. ff. de leg.* 3. donans revocat. *l. 18. ff. de adim.* Quid si rem suam alteri jam obligatam legat? si celebat obligatam, luetur ab herede: si a legatario. vid. *l. 6. J. de fideic.* 34 Imo videtur. *l. 12. §. 1. 32. §. 15. ff. de don. int. vir.* Dictæ leges abrogatæ sunt per *Novell. 162. c. 1. §. 1.* 35 Quam autor *Synopseos 44. tit. 4. c. 4.* appellat τὴν ἐν διώξεσι βοήθειαν, subsidium ex testamento: hoc sensu legatum valere, licet id testator postea pignori, vel hypothecæ dederit. Ideoque si adversus hereden legatarius actionem personalem egerit, hoc est, subsidium ex testamento, legatum heres a creditore liberare cogitur. 36 *Synops. 44. tit. 4. c. 28.* & *7.* Harmen. 10. §. 12. 37 Sine servis mihi legari potest. *l. 76. in fin. l. 8. ff. de hered. inst. l. 15. ff. de opt. l. 30. §. 15. ff. de fideicomm. lib.* 38 Servus institutus, nulla libertatis facta mentione liber intelligitur. vide *l. 5. §. de necess.* aliud autem, si res ei tantum legata, vel fideicommissa, *ut hic, l. 18. ff. de fideicomm. l. 88. §. 13. ff. de leg.* 2. 39 Imo valet, *d. l. §. 2. l. 16. l. 17. l. 19. ff. de aliment.* Valet ex æquo & bono: valet quoque ipso jure, si a milite relictum. *l. 7. supr. de testat. milit.* vel si servus alteri legetur. *l. 49. ff. ad leg. Falcid.* 40 Aliud si vivo testatore.

41 Si sui pars aliqua bonorum legatis fit, & is res ex hereditate subtraxerit aliquas, excidit ea, quæ sibi competebat rerum legatarum exactione, in iis rebus quas eum retinuisse apparuerit: harum siquidem partem exigere non potest. 5. Harmenop. 10. §. 19.

42 Id est, nomine rei ei legatæ. 43 Merito, nam legatarius accipere debet. *l. 1. §. 2. ff. quod legat.* alioquin si auctoritate propria legatum amittit. *l. 9. J. unde vi.* vide Clarum *3. sent. §. Testam. quæst.* 68. Aliud erit, si testatoris jussu. *l. 55. ff. de legat.* 1. *l. 34. §. 1. ff. de le-*

De substitutione.

6. Idem A. Juliano.

SI legata relicta primus [1] legatarius agnovit, substitutio eorum in persona Pontianæ facta evanuit. PP. 8. Kal. Maji, *Romæ*, LÆTO 2. & CEREALE CONSS. 216.

De conjunctis re. 1. *De errore scripturæ.*

7. Idem A. Fausto.

SI [2] Fortidianum fundum pater tuus fratribus per præceptionem, ac [3] mox [4] tibi legavit, concursu [5] dominum ejus tibi [6] quoque quæritur. §. 1. Error [7] autem nominum in scriptura factus, si modo de mancipiis, vel possessionibus legatis non ambigitur, jus legati dati non minuit. PP. 5. Id. Jul. LÆTO 2. & CEREALE CONSS. 216.

Si legatarius, quem testator tutorem dederat, tutor esse non possit.

8. Idem A. Demetrio.

AB administratione tutelæ religio sacramenti [8] Marcellum, quem vobis a patre tutorem datum [testamento] proponitis, eripit. Quæ res, quominus legatum consequatur, non impedit. Nec enim juste ab ea petitione repellitur: cum etiamsi [9] vellet tutelam administrare, prohibeatur. PP. 8. Idus Martii, *Romæ*, SABINO 2. & ANULINO CONSS. 217.

De falsi accusatione.

9. Imp. ALEXAND. A. Antiocho.

SI [10] in fraudem eorum quæ testamento relicta sunt, admissus est accusator, qui testamentum falsum diceret: Præses provinciæ secundum jurisdictionis formam solvi [11] legata jubebit, interposita cautione [12], *si evicta fuerit hereditas, ea restituturum* [13]: quamvis alias tunc cautioni locus sit, cum sine controversia legata solvantur. PP. 7. Id. Februar. MAXIMO 2. & ÆLIANO CONSS. 224.

De re aliena legata.

10. Idem A. Ingenuæ.

CUm [14] alienam [15] rem quis reliquerit, si quidem sciens: tam ex legato, quam ex fideicommisso ab eo qui legatum, seu fideicommissum meruit, peti potest. Quod si suam esse putavit: non aliter valet relictum, nisi [16] proximæ [17] personæ, vel uxori, vel alii tali personæ datum sit, cui legaturus esset, & si sciisset rem alienam esse. PP. 5. Kal. Februar. ALBINO, & MAXIMO CONSS. 228.

De rebus legatis in dotem datis.

11. Idem A. Albiniano.

FIlia [18] legatorum non habet actionem, si [19] ea, quæ ei [in] testamento reliquit [vivus [20]] pater, postea in dotem dederit. PP. 5. Non. Mart. POMPEIANO & PELIGNO CONSS. 232.

Si heres, cui prælegatum est, repudiet hereditatem.

12. Imp. GORDIAN. A. Mutiano.

CUm responso viri prudentissimi Papiniani [21], quod precibus [22] insertum est, præceptionis [23] legatum & omissa [24] parte hereditatis vindicari posse declaretur: intelligis desiderio tuo juxta juris formam esse consultum.

† Verba vero responsi [25] hæc sunt: Filia mater prædium ita legavit; *Præcipito, sumito extra partem hereditatis.* Cum hereditati matris filia renunciasset, nihilominus eam recte legatum vindicare visum est. PP. Constitutio 5. Idus Jul. SABINO 2. & VENUSTO CONSS. 241.

Si cui res propria relinquantur.

13. Imp. DIOCLETIANUS & MAXIMIANUS AA. Severæ.

PROprias [26] tuas res legari, vel fideicommitti tibi non [27] potuisse certum est. PP. 15. Kal. Maji, MAXIMO 2. & AQUILINO CONSS. 286.

De monumentis, & de jure inferendi mortuum.

14. Iidem AA. Tatiano.

MOnumenta quidem legari [28] non posse manifestum est: jus [29] autem mortuum inferendi legare nemo prohibetur. PP. 2. Kalend. Septemb. MAXIMO 2. & AQUILINO CONSS. 286.

De ære alieno.

15. Iidem A. Terentio & aliis.

SI universæ facultates, quas pater vester reliquit, debito [30] fiscali, aut privato absumuntur: nihil ex his, quæ testamento ejus adscripta sunt, valere potest. Quod si deducto debito, in relictis bonis superfluum est, libertates impediri juris ratio non permittit: quin etiam legata necnon fideicommissa, salva lege Falcidia, præstanda sunt. PP. 3. Kalend. Octobr. ipsis 4. & 3. AA. CONSS. 290.

De pignore.

16. Iidem AA. & CC. Syllæ.

CReditor si a debitore suo rem, quam pignoris [31] nomine susceperat, legatam sibi contendit: etiam debito ab heredibus ejus oblato, quominus restituat, defendi potest. S. 18. Kal. Februar. *Sirmii*, CC. CONSS.

Quibus modis legata adimuntur.

17. Iidem AA. & CC. Eutychiano.

DAtum legatum adimi [32] tam pure, quam sub conditione, non libertis tantum, sed etiam ingenuis placuit. Dat. 3. Non. Mart. CC. CONSS. 293.

De legato nominis.

18. Iidem AA. & CC. Justino.

EX legato nominis [33] actionibus ab his, [qui] successerunt, non mandatis, directas quidem actiones legatarius habere non potest: utilibus [34] autem suo nomine experietur. Dat. 6. Id. Dec. CC. CONSS.

De viro & uxore.

19. Iidem AA. & CC. Niconi.

NOn tantum duorum [35] mensium, sed & minoris [36] temporis maritus uxoris testamento scriptus succedit: nec legata, vel fideicommissa, seu donationes temporis hujus angustia capi prohibet. Dat. 5. Id. Decembr. *Nicomedia*, CC. CONSS. 293.

De usufructuario.

20. Iidem AA. Eutychiano.

UXor patrui tui si testata decesserit, res tuas [37], tantum [38] usumfructum earum habens, legare non potuit. Dat. 7. Kal. Januar. CC. CONSS. 293.

De verbis.

21. Imppp. CONSTANTINUS, CONSTANTIUS, & CONSTANS, AAA. ad populum.

IN legatis, vel fideicommissis necessaria non sit verborum [39] observantia: ita ut nihil prorsus interfit, quis talem voluntatem verborum casus exceperit, aut quis loquendi usus effuderit. Dat. Kal. Februar. CONSTANTIO 2. & CONSTANTE CONSS. 339.

De annalibus legatis.

22. Imp. JUSTINIANUS A. Mennæ PP.

IN annalibus legatis, vel fideicommissis, quæ testator non solum certæ personæ, sed & ejus heredibus præstari voluit, eorum exactionem omnibus heredibus, & eorum heredum [40] heredibus servari pro voluntate testatoris præcipimus. Dat. 3. Id. Decembr. *Constantinop.* DN. JUSTINIANO A. PP. 2. CONSS. 528.

gat. 2. vel si testamenti fuerit executor. *arg. l. 78. §. 1. ff. de contrahend. empt.* Quid si heres possideat? negant interpretes propria auctoritate capere posse, & ita intelligie quod scripsi ad *d. l. 55.* adde Clarum *dicto loco.* 1 Legatariorum alii primi, alii secundi esse possunt, id est, in legatis fieri potest subfitutio. *l. 8. §. 4. ff. de legat.* 2. Primo legatario agnoscente, secundus petere non potest, vide *l. 5. supr. de impub. & aliis.* 2 Si quis cum prædium κατ' ἐξαίρετον, id est, per præceptionem fratribus fais legat nomine reliquisset, idem postea prædium alii cuipiam legaverit, omnes simul concurrentes legatarii prædium accipiant. *5* Harm. 10. §. 8. 3 Codicillis duobus eadem die factis, si res in uno legetur Titio, in altero res eadem legetur Cajo, ambo simul ex voluntate defuncti concurrunt, & admittuntur & per concursum faciunt sibi partes, quia præsumuntur se conjuncti. Accurs. *in l. cum proponatis.* 3. *in verbo. contrarium.* 8. *de codicill. arg. l. unica. §. His ita. 10. vers. Sin autem. J. de caducis.* Jason. *in d. l. cum proponat. & l. ult. supr. de edictis Divi Hadriani.* 4 Citra adimendi animum. *§. 1. Inst. de adempt. leg.* 5 Re conjuncti faciunt sibi partes per concursum. 6 Ita ut in hac hypothesi legatarius semissem fundi habeat: instituti vero, sideuque legatarii alii semissem. 7 Ut *l. 4. supr. de testam.* 8 Militaris. Qui propter militiam. *l. 4. supr. qui dare tutores.* mandatum testatoris exequi non potest, non propterea legatum amittit. facit *l. 11. in fin. ff. ad l. Jul. de adulter. l. 2. ff. de veteranis.* Conditio impossibilis de jure, non vitiat, sed vitiatur tantum. 9 *d. l. 4.* 10 Legata quoties heres solvo, a legatariis ejusmodi cautionem exigere debeo, ut, si evicta fuerit hereditas, legata mihi restituant. 11 Heres tenetur solvere legata, licet quæstio de hereditate moveatur, præsita tamen ei cautione a legatario. *l. 6. ff. de heredit. petit. l. 8. ff. si cui plus quam per l. Falcid.* 12 Qua? an amplius quam per legem Falcidiam, ut volunt fere omnes? an evicta hereditate redditum iri, ut vult Cujac. *9. observ.* 23. 13 *Ea restituunt.* Cujac. 18. *obs.* 9. hoc innuit, non quod interdum ilia cautio præstetur nulla mota controversia hereditatis. *l. ult. supr. de petit. her. l. 3. §. 6. l. 4. ff. si cui plus quam per l. Falcid. l. 9. §. 4. ff. ad exhib.* ideo minus, imo magis mota controversia & pertata accusatione falsi testamenti est præstanda. 14 Legare rem alienam solvere legata, licet quæstio de hereditate, nisi proximæ personæ: quæ excepto notatio juxta juris formam esse consultum. 15 Legatum rei alienæ scienter factum valet. *§. 4. Inst. eod.* adde Paul. *4. sent. 1. §. 8.* & *1. Inst. de singul. rebus per fideic. l. 67. §. 8. ff. de leg.* 2. *l. 10. in fin. ff. de aucto.* 16 *Syn. Basil. 44. tit. 4. c. 34.* 17 Proxima persona est non quam nemo antecedit: fed quæ jure sanguinis, licet remoto gradu, attingit. Tiraq. *de retract. gentil. §. 11. gl. 1. num. 4.* 18 Si quis testamento res filiæ legaverit, & superftes adhuc post testamentum suum res eas in dotem pro filia dederit, posteaque mortuus fuerit, amplius filia legatam petere non potest. *Syntagm. ibid. c. 35.* 19 Filiæ centum legavi, eidem post testamentum centum in dotem dedi, nec mortuo dicenta non habet, fed centum, *ut hic.* Idem fuerit, si prius centum in dotem dedi, postea centum obtulerit. *l. 84. §. 6. ff. de legat.* 1. nisi filia probaverit patrem voluisse legatum duplicare. *l. 29. ff. de jur. dot.* 20 Legata vivo testatore præstari possunt. *l. 22. ff. de leg.* 2. *l. 6. ff. de aucto.* at non heredita. vid. *l. 1. ff. pro hered.*

21 Quædam similia extant in *l. 87. ff. de leg.* 1. 22 Antiquum morem observa: consuetum fuisse precibus supplicantis responsa prudentum inserere. 23 Omittenti hereditatem, prælegati petitio est. *l. 17. §. 2. l. 18. l. 91. §. 2. ff. de legat.* 1. *l. 77. §. 31. ff. de leg.* 2. *l. 4. §. 11. ff. de doli mali.* 24 Quiddam tale extat in *d. l. 87. ff. de leg.* 1. 25 Quoties heres in testamento etiam legatum habet quod extra hereditatem præcipiat: potest & omissa parte sua hereditatis legatum sibi relictum capere. *Syn. Basil. 44. tit. 4. c. 36.* 26 Legari res mihi propria non potest, *ut hic*, nisi sub conditione. *l. 98. ff. de cond. & demonst.* nisi commoditatem aliquam mihi id legatum adferat. Cynus & Doctores *in l. si tibi homo.* 86. *§. 1. ff. de legat.* 1. nisi res mea, quæ mihi legata est, alii debetur actione, vel officio judicis. *l. 39. §. 2. ff. de legat.* 1. *l. non quocumque. 82. §. fi ex bonis. 1. ff. de leg.* 1. 27 *l. 41. §. 2. ff. de leg.* 1. *l. 66. §. 3. ff. de leg.* 2. *§. 10. Inst. eod.* 28 Sed nec alienari, nec obligari. *l. 2. in fin. supr. de religiosis.* permutari quoque monumentorum usus non potest. *l. 12. §. 1. ff. de religiosis.* 29 Jus inferendi mortui legari potest, monumentum non potest. Religiosas res legare non possumus, jus in ipsas possumus. 30 Testator, qui solvendo non est, legat inutiliter: fiquidem nemo potest rem [illegible] quod non habet, & legata aliter præstari non possunt, quam deducto ære alieno. *l. 12. supr. de [illegible] milit. l. 16. J. ad l. Falcid. l. 1. §. 18. ff. ad SC. Trebell.* 31 Creditori meo pignus lego, heres debitum ei offert pignus sibi restitui desiderans? heres non auditur, *ut hic.* ut ita pignoris legatum valeat. Quid si creditor præter pignus, debitum petat? justa petitio est, nisi testator animo co-apentandi pignus legaverit. *l. 85. & l. 82. ff. de leg.* 2. 32 Vid. *tit. ff. de admend. vel transf. legat. & Instit. de adempt. legat.* 33 Nomen debitoris cui legatur, suo nomine utilem habet actionem: directam non habet, nisi sit mandata vel cessa. Directa, ex verbis legis est: utilis ex mente. *l. 47. §. 1. ff. de negotiis.* 34 Sex casibus utilis actio datur sine cessione, puta in legato, *ut hic*, & in dote. *l. 2. supr. de obl. & act.* in fin solutum datum fit. *l. ult. supr. quando fiscus*; emptori hereditatis. *l. 5. §. de her. vel act. vend.* vel nominis. *l. 7. d. tit. de hered. vel.* pensionis. *l. 20. ff. de pignoris.* adde *l. 1. supr. de donat.*

35 *Duum mensium. Haloandr.* eodem tempo fecisse fermonem ait *J. 2. C. Theod. de decur.* Ideo Cujacius 18. *obs.* 9. putat hæc verba desumpta fuisse ex aliqua lege prisca, forte Julia & Papia, ne aliter jus haberent capiendi solidi novi nupti inter se, qui infra æstatem essent habendi liberos lege definitam, quam si vel duum mensium spatio una fuissent, novi caloris coërcendi causa, quo æstuantes facile sua omnia novo conjugi elargiuntur. 36 Brevitas temporis quo matrimonium duravit, non impedit quo minus alter conjugum alteri legare possit. facit *l. 12. §. 1. in fin. ff. de leg.* 1. vid. *l. 2. supr. de secund. nupt.* 37 Legans rem communem cum alio, partem suam legare intelligitur, *ut hic.* adde *l. servus. §. 9. §. 1. ff. de leg.* 1. interdum solidam rem legat, ut si testator putavit rem suam esse in solidum quam legavit: si dissertis verbis communem sibi cum herede suo fundum legavit: si fundum simpliciter legavit? si proprietarius ipse fundum legavit, tum enim usumfructum legasse quoque intelligitur. Doctores *in l. hac consultissima. 21. supr. de testament. l. qui se patris. 3. supr. unde liberi.* Soc n. *reg.* 224. 38 Usufructuarius usumfructum legare non potest. vid. *l. 24. §. 1. ff. de legat.* 1. 39 Vid. *l. 2. J. Comm. de legat. pars legis* 15. *supr. de testament. l. ult. supr. qui admitti.* 40 Heredis appellatione veniunt heredes in infinitum. *l. 4. ff. de jure*

Si uni totum, alteri pars relinquatur. I. *Si eadem res eidem sæpius relinquatur.*

23. Idem A. Juliano PP.

CUm quæstio talis de significatione reverentiæ [animos] veterum [1] movit, si quis cuidam *agrum Cornelianum* puta, vel alium quempiam in solidum legaverit, deinde [2] alii partem ejus dimidiam, quantam portionem primus, quantam secundus legatarius consequitur? Simili dubitatione & in hereditate, & in fideicommissis habita. Cumque computationes multæ introducebantur, & multis ratiocinationibus dignæ: nos hujusmodi computationes quasi superfluas, & contrarias voluntati testatoris, omnes esse sopiendas censemus. Cum enim manifestum est, eum, qui ab initio duodecim uncias rei cuidam reliquit, alii autem postea sex, recessisse [3] quidem a priore voluntate, voluisse [4] autem minui eam sex unciis, cum alii eas obtulit: & præsens casus exitum apertissimum inveniet. † Si quis itaque vel agrum, vel hereditatem reliquerit, primo [5] quidem in totum, secundo autem in partem dimidiam: utrumque in sex uncias esse, vel dominum rei legatæ, vel heredem. Et si tota re primo relicta, tertiam partem secundo reliquerit: secundum prædictum modum octo quidem uncias vel agri, vel hereditatis apud primum remanere, tertiam autem partem vel quatuor uncias ad secundum migrare. Et sic in omnibus statuendum est, id est, in hereditatibus, vel legatis, vel fideicommissis, vestigia enim voluntatis testatoris non aliter nisi per hujusmodi viam æstimanda sunt. §. 1. Sed & aliam disceptationem juris antiqui non absimilem constitutam decidere nobis humanum esse apparuit. Agitabatur enim, si quis *agrum Cornelianum*, vel forte alium, vel quandam rem cuidam legaverit: & postea iterum, vel sæpius [6] ei eandem rem per legatum, vel fideicommissum dederit, post talia autem verba testamenti, Sempronio eundem agrum, vel aliam rem legaverit, ut sæpius quidem fuisset Titii mentio, semel autem Sempronii: quid statuendum est? & quid juris sit, si conjunctim, aut separatim eis relinquatur, sive in legato hoc consistat, sive in hereditate? Hujusmodi igitur decidentes antiquam controversiam sancimus, cuicunque sit hereditas vel ager in memoratis casibus, sive conjunctim, sive soli, sive sæpius eidem relictus, æqua [7] lance & hereditatem, & agrum, & aliam quamcunque rem dividi, & ad dimidiam partem unumquemque vocari: nisi specialiter expresserit, & dixerit testator, tantas quidem partes velle unum, tantas autem alterum habere. In omnibus etenim testatoris [8] voluntatem, quæ legitima est, dominari censemus. Dat. 15. Kalend. Decembr. LAMPADIO & ORESTE VV. CC. CONSS. 530.

De eo, qui exheredato substitutus est.

24. Idem A. Joanni PP.

CUm quidam suum filiumfamilias impuberem exheredatum fecit, aliis heredibus scriptis, eidem autem pupillo alium substitutum reliquit, maximam scilicet [9] ostendens ad filium suum affectionem, cui nihil quidem emolumenti reliquit, sed post exheredationis [10] injuriam etiam substitutionem ei addidit, &[a] substituto legatum reliquit. *Quærebatur*, si hujusmodi legatum, vel fideicommissum posset valere? Sed & si legatum eidem exheredato filio pater reliquerit, & substituerit ei exheredato facto aliquem extraneum] iterum certabatur, si saltem per eundem modum fideicommissum posset reliquere? Cum igitur antiquitas quidem hoc diverse tractare maluerit, nobis autem hujusmodi jurgia supervacua esse videantur: sancimus [11] nullo legato, nullo fideicommisso hujusmodi substitutum, qui [12] exheredato pupillo datus est, prægravari, nec si ipsam rem, quam pupillo legavit, a substituto ejus vel legare, vel fideicommittere voluit. Dat. 2. Kal. Maji, *Constantinop.* post consulatum LAMPADII & ORESTIS VV. CC.

Legatarius celans testamentum, privatur legato & remanet heredi scripto, Salic.

25. Idem A. Joanni PP.

SI legatarius [vel fideicommissarius] celaverit [13] testamentum, & postea hoc in lucem emerserit, an posset legatum sibi relictum is, qui celaverit, ex [eo] testamento vindicare, dubitabatur? Quod omnimodo inhibendum esse censemus, ut non accipiat fructum [14] suæ calliditatis, qui voluit heredem hereditate sua defraudare: sed hujusmodi legatum illi quidem auferatur, maneat autem quasi pro non scripto apud [15] heredem, ut qui alii nocendum esse existimavit, ipse suam sentiat jacturam: quemadmodum si legatarius, cui propter tutelam gerendam aliquid relictum sit, non [16] subierit tutelam: ei quidem legatum aufertur, pupillo autem adsignatur, cui ille utilis esse noluit. Dat. Kal. Novembr. *Constantinop.* post consulatum LAMPADII & ORESTIS VV. CC. 531.

De legatis, vel fideicommissis temporalibus.

26. Idem A. Joanni PP.

ILlud quod de legatis, vel fideicommissis temporalibus [17], utpote irritis, a legum conditoribus definitum est, emendare prospeximus: sancientes etiam talem legatorum, vel fideicommissorum speciem valere, & firmitatem habere. Cum enim jam constitutum sit, fieri posse temporales donationes [18], & contractus: consequens [19] est etiam legata, vel fideicommissa, quæ [20] ad tempus relicta sunt, ad eandem similitudinem confirmari: post completum videlicet tempus ad heredem iisdem legatis, vel fideicommissis remeantibus [21], necessitatem habente legatario, vel fideicommissario cautionem in personam heredis exponere, ut [ei] post transactum tempus res non culpa ejus deterior facta restituatur. Dat. 15. Kal. Novemb. *Constantinop.* post consulatum LAMPADII & ORESTIS VV. CC. Anno 2. 532.

TIT. XXXVIII.
DE VERBORUM [22] ET RERUM SIGNIFICATIONE.

De prædiis instructis legatis.

1. Imp. ANTONINUS A. Antipatræ.

PRædiis *instructis* [23] legatis, quamvis ex fructibus vinum & oleum in eodem fundo habuit: tamen si id venale [24] fuit: item ea, quæ ad tempus propter incursionem latronum tutelæ [25] causa in prædium translata sunt, legato non cedere, juris auctoribus placuit. † Vinum vero quod in apothecis fuit, si ideo [26] illic habuit, ut cum in prædium venisset, materfamilias eo uteretur [27], legato cedere, ignorare non debes. PP. 6. Id. August. ANTONINO A. 4. & BALBINO CONSS. 214.

De fundo instructo.

2. Impp. DIOCLETIANUS & MAXIMIANUS AA. & CC. Rufino.

FUndo, *sicut* [28] *instructus* [29] *est*, legato, sive per fideicommissum relicto, villicum quidem, hominesque, & omnia, quæ vel ipse paterfamilias, cum ibi ageret, vel ut fundus esset instructus, non temporis causa, in eo habuit, relicta esse, juris auctoritate definitum est: ea etiam, quæ tam fructuum collligendorum [30], quam servandorum, item pecora [31] stercorandi, vel pascendi causa ibi constituta, ut de his fructus capiantur, vel ut fundus sit instructus: fideicommisso cedere, certi juris est. Dat. Non. Octobr. *Sirmii*, AA. Consulibus.

De cautione περὶ ἀσφαλείας.

3. Imp. JUSTINIANUS A. Juliano PP.

SAncimus *cautionis* [32] nomine, vel ἀσφαλείας, id est, *Securitatis*, non [33] esse fidejussoris dationem interpretandam [34]: nisi hoc specialiter, vel in Græcis, vel in Latinis verbis scriptum fuerit: nisi enim, vel generaliter de satisdatione, vel fidejussione specialiter sit [35] nominatum, cautione, vel ἀσφαλείᾳ minime fidejussionem, sed nudam promissionem significari. Dat. Kal. Mart. *Constantinop.* LAMPADIO & ORESTE VV. CC. CONSS. 530.

De verbo Aut.

4. Idem A. Joanni PP.

CUm quidam sic vel institutionem, vel legatum, vel fideicommissum, vel libertatem, vel tutelam scripsisset, *Ille, aut* [36] *ille mihi heres esto*: vel, *Illi, aut illi do lego*: vel *dari volo*: vel *illum, aut illum liberum*: aut *tutorem* [37] *esse volo*, vel *jubeo*: dubitabatur, utrumne inutilis sit hujusmodi institutio, & legatum, & fideicommissum, & libertas, & tutoris datio? an occupantis melior conditio sit? an ambo in hujusmodi lucra, vel munera vocentur? & an secundum aliquem ordinem admittantur? an uterque omnimodo? cum alii in institutionibus primum quasi institutum, admitti, secundum quasi substitutum, alii in fideicommissis posteriorem solum accepturum fideicom-

immun. l. 65. ff. de verb. signif. nisi legetur ususfructus. *l. 13. supr. de usufruct.* 1 *Animos veteres*, Cujac. 19. *obj. 9. ut antiquos animos. l. 9. supr. qui testam.* Goth. Hæc est 32. decisio ex 50. novis decisionibus Justinianeis. vid. Antiquitates. Adde Bellapert. *h. l.* & Vigl. *de hered. institueend. §. si plures. num. 6.* Ant. 2 Totum si uni legatur, alteri pars totius, censetur pars illi de toto adempta. *l. 6. ff. de admendat.* 3 Tacita voluntatis revocatio. 4 *l. 13. §. 4. ff. de hered. instit.* 5 Adde *§. 7. Instit. de heredib. instit.* 6 Vid. *l. 34. §. 1. ff. de leg. 1.* 7 *l. 19. in fin. l. 84. §. 12. ff. de legat. 1.* 8 Vid. *l. 16. ff. de fideicomm.* 9 Ignoscat *l. 97. ff. de leg. 3.* 10 Exheredatio injuriosa.

11 Hæc est 33. decisio ex 50. novis Justinian. ut videre est apud Inglois. *Ant.*

12 A substituto impuberis exheredati non potest legari, vel fideicommiti: etiamsi exheredato pater aliquid legaverit. 13 Legatarius celans testamentum, privatur legato, id, quæ heredi cedit, non quasi scriptum. *§. Hæmenop. 10. §. 36. Synopf. Basil. 44. tit. 4. cap. 48.* 14 Fructum suæ calliditatis jure nemo percipit. Dolus fous nemini prodest.

15 Vid. quæ dixi ad *l. unicam. §. 13. ff. de caducis.* Cur ita? quoties indignitas respicit favorem certæ personæ, quod reo auferrur, injuriam passo defertur. 16 *l. 32. ff. de excus. tut. l. 5. §. 2. ff. de his, quæ ut indign. l. 12. §. 4. ff. de relig.* nisi tutor non idoneus sit, puta minor: & ita per eum non fiet. *l. 76. §. 6. ff. de legat. 2.* 17 Valet legatum ad certum tempus, vel incertum: contra, Hereditas ex die, vel in diem non datur. *l. 34. ff. de hered. instit.* nisi a milite. vid. *l. 8. §. de testament. milit.* adde *l. 9. supr. de hered. instit.* 18 *l. 1. 2. 3. ff. de donationib. quæ sub modo.* 19 Argumentum valet a contractibus ad ultimas voluntates. dixi ad *l. 20. ff. de verb. sign.* vid. Manticam 3. *de Conjecturis ultim. voluntatum* 18. & Everardum *Topicis loco a contractibus ad ultimas voluntates* 37. Goth. Vid. *l. 44. §. 5. & l. 46. ff. de legat. 1.* Ant. 20 Ad tempus legari potest, *ut hic*, ut & vendi donari. *l. 1. ff. de in diem addict. l. 1. 2. ff. de lege commissoria. l. 1. 2. 3. ff. de don. quæ sub modo.* dos relinqut. *l. in rebus. 30. supr. de jure dot. l. 1. supr. solute.* emphyteusis dari. *l. 2. §. de jure emphyteus.* vid. Bertrand. *4. consil. 1. num. 4.* 21 Finito legati tempore, legatum ad heredem revertitur.

22 Dixi ad 50. *D. pen.* 23 Instructis prædiis legatis, ea tantum cedunt, quæ fuerunt ibi perpetui usus causa: ad tempus ibi reposita, venalia non cedunt. 24 *l. 12. §. 30. ff. de instructo.* 25 Id est, custodiæ *l. 12. §. 29. ff. de instruct.* vid. Paul. 3. *sentent. 6. §. 39.* 26 Vinum in apothecis duplici causa habetur: vel ut eo utamur, *ut hic*: vel ut in horreo, ut postea vendamus. vid. *in d. l. 12. §. 29.* 27 Illudque absumeret. Paul. 3. *sent. 6. §. 42. l. 1. supr. eodem.* 28 *l. 8. l. 12. §. 27. l. 16. §. 2. l. 20. §. 8. ff. de instruct.* 29 Fundi instructi legato instrumenta tam fundi quam patrisfamilias veniunt, veluti pecora, instrumenta fructuum colligendorum, villici, homines.

30 *l. 8. ff. de instructo.* 31 *l. 9. ff. de instructo.* Paul. 3. *sent. 6. §. 38.*

32 *l. 188. in fin. ff. eod.* 33 Cautionis verbum a lege, vel a contrahentibus, vel a testatore vel statuto, consuetudine, aut ordinatione prolatum nudam promissionem continet, non fidejussorem, *ut hic*: nisi qui cavere debet, sit suspectus: alias inanis cautio creditori non prodesset, nisi is, qui promisit, cautione antea erat obligatus (alias secunda promissio priori nihil adferret utilitatis) nisi agatur de cautione prætoria. *arg. l. 7. ff. de prætoriis.* nisi fructuratio esset nuda cautio: nisi cautio Burgensis (ut Galli dicunt) id est, sufficiens, & competens. *l. 21. ff. de judiciis.* idonea. *l. 41. ff. de pet. hered. l. 6. ff. de pignor. act. l. 1. §. 36. ff. depositi. l. 59. in fin. ff. mandati. l. 4. supr. de precibus imp. l. pen. in fin. supr. depositi. l. 3. 7. de omni agro.* (Idonee enim cavere est satisdato & captis pignoribus. *l. 4. §. 8. 7. de fideicom. libert.*) bona & plena debetur. Socinus *reg. 43.* nisi recte caveri oporteat. *l. 2. ff. de usufruct. earum rerum. l. 1. §. 9. ff. de cellar. benar. l. 73. ff. de verb. sign.* multo magis, si conjunctim bonam & sufficientem cautionem dari sit necesse. Copulationum namque vis hæc est, ut utrumque requiratur & geminata qualitas cautionis ejusdem naturam augeat. Ad hæc, fidejussore mortuo, vel non solvendo facto, alius peti potest. Superioribus casibus, idonea cautio non est simplex quantumvis hominis divitis juramentum. Legis enim & statuti præceptum in forma specifica implendum est. Sufficiens etiam non est quivis ex plebe: religiosus quantumvis vir probus: quia nihil habet: *Auth. ingressi. supr. de sacros. eccles.* usurarius, licet dives: infamis manifestus: *l. 20. supr. ex quibus caus. infam.* (qua de re dubitari tamen potest) advocatus, procurator rixarum plenus, nosarius fraudulentus, mulier: *l. 1. & passim ff. ad SC. Velleian.* minor, furiosus, prodigus & similes, qui obligari non possunt: *Inst. de inutilib. stipul. l. 1. ff. de verb. obl.* milites & nobiles in eundem ordinem referunt. mobilium tantum possessor etiam idonea cautio non est: sed nec is qui se non obligat ad instar principalis, puta non personaliter: si pignus nudum offertur (si tamen de Prætoria cautione agitur. *l. 7. ff. de prætoriis.*) qui instrumento publico caveri vult. Sufficiens vero dici potest, qui fiduam opum laudatores, seu certificatores apud judicem arbitrum, vel commissarium in id electum parte præsente, vel citata. *l. 47. ff. de re judic.* profert. Solent enim judices idoneos probare etiam parte invita. Tenetur quoque laudator ille in subsidium, principali non solvendo. *l. 4. in fin. ff. de fideiuss. tut.* idoneus quoque intelligitur, qui non idoneus quidem est, sed tamen probatus a creditore est. *l. 3. in fin. ff. de fideiuss.* Quod si quis fidejussorem non reperit, est enim difficile fidejussorem reperire? decurritur ad sequelam. vid. *l. 5. §. 1. ff. ut legat. Nov. 88. cap. 5. §. 1. l. 33. §. 2. 3. de epsc. & cleric.* Quid si rem, eo loci ubi petitur cautio, juret se satisdare non posse, alibi posse? auditur. *l. 8. §. 5. ff. qui satisdare.* Hic ad se Rebuf. *tom. 2. tract. de sent. executi. art. 1. glos. 16. in verb. Bonne & sufficiante caution.*

34 Imo interpretanda est *l. 89. in fin. mandati.* Aliud est ad nudam, aliud ad idoneam cautionem teneri. 35 Puta in testamento, ut *l. 84. ff. de leg. 1. l. 32. ff. ad SC. Trebell.* 36 Disjunctiva posita inter personas honoratas, vel gravatas, tam in ultimis voluntatibus quam contractibus pro conjuncta capitur; non si inter res sit apposita. 37 Adde *l. 23.*

missum existimaverint, quasi recentiore voluntate testatoris utentem. Et si quis eorum altercationes sigillatim exponere maluerit, nihil prohibet non leve libri volumen extendere, ut sic explicari possit tanta auctorum varietas: cum non solum juris auctores, sed etiam ipsæ principales constitutiones, quas ipsi auctores retulerunt, inter se variasse videntur. Melius itaque nobis visum est [1], omni hujusmodi verbositate explosa, conjunctionem *Aut* [2], pro *Et* accipi: ut videatur copulativo modo esse prolata, & magis sit παρεμπλοκής [3], ut & primam personam inducat, & secundam non repellat. Quemadmodum enim (verbi gratia) in interdicto [4], *Quod vi, aut clam*, *aut* conjunctio pro *&* apertissime posita est: ita & in omnibus hujusmodi casibus, sive institutionum, sive legatorum, sive fideicommissorum, vel libertatum, seu tutelarum hoc est intelligendum, ut ambo veniant æqua lance ad hereditatem, ambo legata similiter accipiant: fideicommissum in utrumque dividatur: libertas utrumque capiat: tutoris ambo fungantur officio: [ut] sic nemo defraudetur a commodo testatoris, & major providentia pupillis inferatur: ne dum dubitatur, apud quem debeat esse tutela, in medio res pupillorum depereant. Sed hæc quidem sancimus, cum in personas hujusmodi proferatur scriptura. Sin autem una quidem est persona, res [5] autem ita derelictæ sunt, *Illam, aut illam rem illi do lego*, vel *per fideicommissum relinquo*: tunc secundum veteres regulas & antiquas definitiones, vetustatis jura maneant incorrupta, nulla innovatione eis ex hac constitutione introducenda. Quod etiam in contractibus locum habere censemus. Dat. Prid. Kal. Maji, *Constantinop.* post consulatum LAMPADII & ORESTIS VV. CC. 531.

De nomine familiæ.

5. Idem A. Joanni PP.

SUggestioni Illyricianæ [6] advocationis respondentes, decernimus, *familiæ* [7] nomen talem habere vigorem, parentes & liberos, omnesque propinquos, & substantiam: libertos [8] etiam & patronos, nec non servos per hanc appellationem significari: & si quis per suum elogium fideicommissum *familiæ* [9] *suæ* reliquerit, nulla speciali adjectione super quibusdam certis personis facta: non solum propinquos, sed etiam his deficientibus, generum [10] & nurum. Eos enim nobis humanum esse videtur ad fideicommissum vocari: ita videlicet, si matrimonium morte [11] filii, vel filiæ fuerit dissolutum: nullo etenim modo possunt gener, vel nurus filiis viventibus ad tale fideicommissum vocari: cum hi proculdubio eos antecedant: & hoc videlicet gradatim fieri ut post eos liberti veniant. † Hoc eodem valente & si quis rem immobilem cuidam legaverit, vel fideicommiserit, eamque alienare prohibuerit [12] adjiciens, *ut si hoc fideicommissarius præterierit, familiæ* [13] *suæ res acquirantur*. † In aliis autem casibus nomen *familiæ* [14] pro substantia oportet intelligi: quia & servi & aliæ res in patrimonio uniuscujusque esse putantur. Dat. 15. Kal. Novembr. *Constantinop.* post consulatum LAMPADII & ORESTIS VV. CC. Anno secundo. 532.

TIT. XXXIX.
SI OMISSA [15] SIT CAUSA [16] TESTAMENTI.

1. Imp. SEVERUS & ANTONINUS AA. Januariæ.

SI in fraudem legatorum transmissam hereditatem ad substitutum [17] probatura es: utilis actio adversus eum, cum quo fraudis consilium participatum est, [tibi] competit. Plane, si pecunia [18] accepta omisit [19] additionem, legata & fideicommissa præstare cogitur. Accept. Kalend. Octobr. FUSCO & DEXTRO CONSS. 226.

Si hereditas, quæ adiri poterat, repudietur in fraudem legatorum, habet locum hoc Edictum. Baldus.

2. Impp. PHILIPPUS A. & PHILIPPUS C. Victoriæ.

EUm, qui cum testamento posset obtinere hereditatem, ab intestato jus successionis voluit amplecti, libertatibus [20] eodem testamento datis obsesse non posse, jampridem placuit. Quod si cum jam neque adiri ex testamento hereditas, neque bonorum possessio peti possit, judicium defuncti non [21] usurpabitur, sed ad irritum juris ratione revocatum est, petitio relictorum nullo jure procedit. Si vero jure facto testamento: cessante herede scripto alter ab intestato adiit hereditatem, neque libertates [22], neque legata ex testamento posse præstari, manifestum est. PP. Kal. Januar. PHILIPPO A. & TITIANO CONSS. 246.

3. Impp. DIOCLETIANUS & MAXIMIANUS AA. & CC. Apro & Piæ.

SI Proculiana patri vestro, cujus estis heredes, testamento quid reliquit, & scripti jure secundum ejus judicium vel omissa causa testamenti successerunt ab intestato, aditus competens Judex, quatenus legis Falcidiæ [23] modus patitur, vobis relicta restitui jubebit. Dat. 15. Kal. Januar. *Sirmii*, AA. CONSS.

TIT. XL.
DE INDICTA VIDUITATE [24], ET LEGE JULIA MISCELLA [25] TOLLENDA [26].

Conditio viduitatis non spernitur, si legatum non adscribitur mulieri, sed alteri. Bald.

1. Imp. GORDIANUS A. Bono.

LEgatum alii [27] sub conditione sic relictum, *si uxor* [28] *nuptui se post mortem mariti, non collocaverit* [29], contractis nuptiis conditione deficit, ideoque peti nequaquam potest. PP. 13. Kal. August. GORDIANO A. 2. & POMPEIANO CONSS. 242.

Lex Julia Miscella in juramento & cautione Mutiana, quæ præstabatur, cessat. Salic.

2. Imp. JUSTINIANUS A. Joanni PP.

AMbiguitates legis Juliæ [30] Miscellæ generali lege tolientes, nullum concedimus fieri juramentum secundum prædictam legem, sed penitus ea una cum Mutiana [31] cautione super hac causa quiescente, licere *mulieribus* etiam maritorum [32] suorum [33] interminatione spreta, quæ viduitatem eis indicit, & non dato sacramento, procreandæ sobolis gratia tantum ad secundas migrare nuptias, pœna hujusmodi cessante, sive habeat liberos, sive non: & ea percipere [34], quæ maritus dereliquit: quorum omnium manifestissimum est, dominium minime eas liberis existentibus habere, usufructu [35] tantummodo apud eas remanente, & ad liberos prioris tori proprietate eorum deferenda, secundum ea quæ de secundis nuptiis, & lucris quæ ex his mulieribus [obveniunt] statuta sunt, ne ex necessitate legis, & sacramento colorato [36] perjurium committatur. Cum enim mulieres ad [37] hoc natura progeneurit, ut partus ederent, & maxima eis cupiditas in hoc constituta sit: quare scientes prudentesque perjurium committi patimur? Tale igitur juramentum conquiescat, & lex Julia Miscella cedat cum Mutiana [38] cautione super hoc introducta: & a [nostra] republica separata. Augeri [39] etenim magis nostram Rempublicam, & multis hominibus legitime progenitis frequentari, quam impiis perjuriis affici volumus: cum satis esse inhumanum videatur, per leges [40], quæ perjuria puniunt, viam perjuriis aperiri. Dat. 10. Kalend. Mart. *Constantinop.* post consulatum LAMPADII & ORESTIS VV. CC. 531.

In AUTHENT. de nupt. §. quæ vero nunc sequitur. coll. 4. tit. 1. Novell. 22. cap. 43.

Cui relictum quid fuerit a conjuge, vel a qualibet persona, ne secundas ineat nuptias: *intra annum quidem non petat, nisi spes nuptiarum deficiat: post annum vero capiat, præstita cautione* rei cum fructibus restituendæ, si contra fecerit. *Pro re immobili juratoria cautio fiat cum hypothecis; pro mobili (si persona sit idonea) eadem sit cautio: aliquo & fidejussor exigitur, si præstari potest. Contractis nuptiis res data vindicari potest: quod sic admittitur, ac si ei relictum, vel ordinatum non esset.*

Lex Julia Miscella correcta in muliere est correcta in viro, & conditio in viduitate apposita, si perseverantiam non requirit, est exsecutanda. Bald.

3. Idem A. Joanni PP.

LEgem Juliam Miscellam quemadmodum in fœminis fustulimus, ita & in [41] *masculis* esse sublatam, pertinere quidem ad sensum nostræ legis, quam super hoc promulgavimus, non est incertum: Ne tamen quædam ambiguitas simplices [42] animos moveat, etiam expressim sancimus, legem Juliam Miscellam, & Senatusconsultum [43], quod circa eam factum est, nec non Mutianam [44] cautionem, quæ super talibus nuptiis introducta est, non solum in fœminis, sed etiam in masculis cessare. † Sed quia apud Ulpianum in libris, Sabinianis invenimus quædam verba, quæ effugiunt legis Miscellæ observa-

ff. de testam. tut. 1 Hæc est 34. decisio ex novis 50. Justinian. Ant. 2 *Aut* pro *Et* accipitur, & ita disjunctiva pro conjunctiva sumitur. *l. 53. ff. eod.* & e contra *d. l. 53. & 29. ff. eod. l. 11. §. 5. in fin. ff. quod vi.* 3 Alciatus 9. *Parerg.* 18. legit παρεμφαίνει & male. vid. Cujac. ad *l. 27. ff. de pactis*: & ad *l. 133. ff. de verb. oblig.* παρεμπλοκής falsa disjunctio quoties quid ita disjungitur, ut tamen conjunctim intelligatur, quæ loquendi forma etiam παρεπιφορὰς, cum quid ita recitemus, ut tamen tacitis nobis intelligatur. διάζευξις, disjunctio ἀναφορὰς, alterutio. 4 *l. 1. §. 5. in fin. quod vi aut clam.* 5 Disjunctiva inter res diversas posita, pro conjunctiva non habetur: inter personas posita, interdum habetur. J. *eod.* 6 Illyricianæ advocatio est eorum advocatorum, qui munere isto fungebantur apud Prætectum Prætorio Illyrici, cujus alibi quoque fit mentio.

7 Familiæ relictum gradatim debetur personis appellatione familiæ comprehensis. De familia adde *l. 195. §. 2. l. 196. ff. eod. l. 32. §. 6. ff. de leg. 2. l. 14. ff. ad Trebell.* Tiraquell. *libello Du retraict lignager §. 1. glos. 9. num. 195.* Simonem de Prætis 3. *de interpret. ultimarum voluntat. 3. dubitatione 1. solutione 11. num. 25.* 8 Vid. quæ scripsi ad *l. 108. ff. de cond. & demonstr.* 9 Relicto familiæ. *Familia relinquo, ut hic, & l. 32. §. 6. ff. de leg. 2. familia vel adquiri. in fin. J. eod.* addatur illud, *ut de nomine familiæ meæ exeat. l. 88.* 10 Gener & nurus numerantur in familia. 11 Gener & nurus dicuntur etiam dissoluto matrimonio, & sic affinitas dicitur durare dissoluto quoque matrimonio. In edicto *de possidendo*, præsentes affinitates intelliguntur, non quæ fuerunt. *l. 3. §. 1. ff. de possidendo.* in nuptiis etiam non præsentes intelliguntur. *§. 8. ibi, si fuit nuptias. Inst. de nupt.* Ita servus testari non potest pro iis dominis quorum antea fuerit. *l. 14. J. de Quæst.* Quare quod a Gallis dicitur. *Morte ma fille, mort est mon gendre*: refertur ad amorem potius quam ad pudorem & honestatem, morte filiæ deminuitur quasi necessitudo, at non honestas & reverentia. 12 Plerumque testatores vetant res extero venti, vel in extrum alienari. *l. ult. §. de reb. alien. non alienand.* 13 De relicto familiæ dixi J. *eod.*

14 Familiæ nomen pro substantia, ut eo loco: Adgnatus proximus familiam habeto. *l. 195. §. 1. ff. eod.*

15 *29. D. 4.* adde 44. *Eccl.* 26. Omittere est negligere judicium defuncti: repudiare, abstinere, cessare. 16 Causa testamenti ipsum testamentum, seu hereditas testamento delata. 17 *l. 1. 7. de fideic. libert.* Substitutus cui detertur hereditas, legata solvit.

18 *l. 3. 4. ff. eod.* 19 Tenetur, qui omisit additionem, licet non possideat.

20 *l. 22. ff. eod.* 21 Non insuper habitum, &c. Cujac. 3. *obs. 22. in fin.* ubi notionem verbi, *insuper habere*, explicat, *insuper habere*, ut idem autor notat 11. *observ.* 12. est παρεμφαίνει. Nam & παρεμπλέκει Hieronymus interpretatur, Insuper habebit: & eodem sensu Agellius 1. Eam confidentiam non insuper habendam intelligit, & Symmachus, fribendi munus non insuper habitum. his adde quæ dixi ad *l. 43. in fin. ff. de religios. l. 17. ff. de his, quæ ut indign.* adde alia ex Mureto 11. *variar. 17.* De *l. 1. ff. eod.* 22 *l. 17. ff. eod.*

23 Falcidia detrahitur, etiam quando legata ex hoc edicto debentur. adde *l. 6. ff. eod.*

24 Id est, de legatis viro aut mulieri fub conditione viduitatis & cœlibatus relictis.

25 De qua dixi ad *Novell. 22. c. 43.* Cur ita dicitur. vide *l. 3. J. eod.* 26 Id est, de remittenda conditione viduitatis a testatore indictæ. Hodie non remittitur. *Novell. 22. cap. 44.* Hujus itaque tituli interpretatio desumenda est ex *dicto capite 43. & 44.*

27 Extraneo fcil. 28 Mea. 29 Id est, si uxor mea viduam permanserit: hoc igitur innuit: Si extraneo legavero sub conditione, *Si uxor mea viduam permanserit*, conditionem non remitti: quia nulla viduitas injungitur. *l. 74. ff. de condition. & demonstrat.* al ud erit si uxori vel alii mulieri legavero sub hac conditione. *Si vidua permanserit.* Eo enim casu conditio remittitur. *l. 2. §. de inst. & substit.* 30 Lege Julia Miscella certa erat, ut mulieres, quibus viri ac mariti viduitatem indixissent, etiam si nuptias secundas contraxissent, relicta sibi legata consequerentur, præstito prius jurejurando se procreandæ sobolis gratia secundas nuptias contrahere. Cui legi, quod ad juramentum attinet, Justinianus derogat *hac lege & Nov. 22. c. 43.* 31 Vide *l. 3. J. eod.* 32 Quidam hinc colligunt, Legem Juliam Miscellam pertinuisse ad conditiones adscriptas foliis mariti testamento. Sed Mercator 1. *Notar. 2.* ait etiam pertinere ad conditiones adscriptas extraneo testamento: quod & evidenter ex *Justiniani Novella* confirmat 22. *c. 44. in fin.* 33 Robertus hinc colligit, Legem Juliam Miscellam pertinere ad folas viduas. Mercator 1. *Notar. 2.* ait pertinere etiam ad virgines: eo sensu cœlibatus, aut viduitatis conditionem multo magis virginibus quam viduis remittendum esse. 34 Hodie mulieres non possunt legatum accipere si nupserint. *Novell. 22. c. 44.* 35 *l. 3. versic. nec quicquam. supr. de secund. nupt.* 36 Ex colorato sacramento perjurium committitur. 37 Mulieres ad id natura progenitæ, ut parterest. 40 Legibus via perjuriis non aperitur, cum perjuria legibus ipsis puniantur.

41 Ideo lex Julia Miscella dici existimatur, quod pertinet tam ad mares, quam ad fœminas quibus viduitas injungitur. *l. 79. in fin. ff. de cond. & demonstr.* dixi plenius *ad Novell. 22. c. 43.* 42 Ut alibi *veteres animos & antiquos. l. 23. supr. de legatis.* 43 Senatusconsulta quæ circa eam facta sunt. Cujac. *hic.* ut intelligas Perniciamum & Calvisianum, de quibus vide Ulpianum. 44 De qua *l. 2. supr. eod. l. 72. §. 1. ff. de cond. & demonst.*